



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sacrosancti Et Oecumenici Concilii Tridentini, Pavlo III.
Ivlio III. Et Pio IV. Pont. Max. celebrati, Canones Et
Decreta**

Tridentinum <1545-1563, Trient>

Coloniae, 1615

Regvla I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42415

REGVLA I.

Libri omnes quos ante annum 1555, aut summi Pontifices, aut Concilia œcumenica damnarunt, & in hoc indice non sunt, eodem modo damnati esse censentur, sicut olim damnati fuerunt.

REGVLA II.

Hæresiarcharum libri tam eorum, qui post prædictum annum, hæreses inuenerunt vel suscitauerunt, quam qui hæreticorum capita, aut duces sunt, vel fuerunt, quales sunt Lutherus, Zvinglius, Calvinus, Balthasar Pacimontanus, Schvvenckfeldius, & his similes, cuiuscumque nominis, tituli, aut argumenti existant, omnino prohibentur.

Aliorum autem hæreticorum libri, qui de religione quidem ex professo tractant, omnino damnantur.

Qui verò de religione non tractant, à Theologis Catholicis, iussu Episcoporum, & Inquisitorum examinati, & approbati permittuntur.

Libri etiam catholicè conscripti, tam ab illis, qui postea in hæresim lapsi sunt, quam ab illis, qui post lapsum ad Ecclesiæ gremiū rediēre, approbati à facultate Theologica alicuius Vniuersitatis Catholica, vel Inquisitione generali permitti poterunt.